

infirmos aut senio confectos in communitate et sub regula viventes, qui ecclesias aut oratoria visitare aliave pro indulgentiis praescripta exsequi non possunt. Nulla vero generalis facultas concessa est commutandi in aliud plium opus communionem, ad lucrandas indulgentias requisitam, pro pueris nondum ad primam communionem admissis.

**2º Visitatio ecclesiae.** Praeter ea quae jam supra de hac visitatione dicta sunt, haec attendi merentur :

a) Visitare ecclesiam idem est ac eamdem ingredi animo colendi Deum. Sufficit tamen ut quis ingrediatur moraliter, ex. gr. dum stat prope fines ecclesiae, saltem si ob aliquod obstaculum, ex. gr. nimiam turbam, vel januam clausam, ingredi non posset. (Bering. I. p. 74)

b) Haec visitatio non requiritur nisi in concessione exprimatur.

c) Visitatio regulariter peragi nequit in oratoriis monasteriorum, seminariorum aliarumve communictatum, ad quae christiana plebs non solet publice accedere. (S. C. Ind. 22 Aug. 1842) Saepe tamen speciali indulto conceditur ut religiosi aliaeve personae quae in publicum prodire nequeant, omnes indulgentias in oratorio domestico (deficiente ecclesia publica) lucrari possint. Videsis Comp. Priv. S. J. n. 440.

d) Qui cupit lucrari plures indulgentias pro quibus visitatio ecclesiae praescripta est, tenetur ad visitationem peragendam totidem vicibus quot sunt indulgentiae lucranda; nec sufficit ut in ecclesia tot preces recitet quot sunt visitationes facienda, sed necesse est ut post quamlibet visitationem egrediatur et denuo in ecclesiam regrediatur. (S. C. Ind. 29 Febr. 1864)

**3º Recitatio precum.** De qua adverte :

a) Hodie, ex resp. S. C. Ind. 13 Sept. 1888 (Act. S. S. t. 21. p. 192), jam constat non sufficere orationem mentalem, sed requiri ut aliqua oratio vocalis recitetur.

b) Plerumque, cum nullae preces in concessione determinentur, unicuique integrum est eas quas maluerit recitare. Quamdiu orandum sit, numquam S. Sedes determinavit. E communi sententia et praxi, satis est quinques Pater et Ave recitare; immo eximii scriptores, ut Suarez et Theodorus a S. Spiritu, existimant breviorem orationem sufficere, cum hic potius fervor mentis quam precum duratio postuletur.

c) Quando jubentur preces recitari ad intentiones R. P. vel ad intentiones ordinarias, hae censendae sunt : exaltatio S. Ecclesiae, fidei propagatio, peccatorum conversio et ceterae populi christiani necessitates. Non est opus ut talis intentio expresse singulis vicibus eliciatur. (S. C. Ind. 12 Jul. 1848) Sufficit ut quis implicite intendat ad intentiones R. P. orare.

d) Surdo-mutis concessit Pius IX 15 Martii 1852 ut indulgentias, pro quibus praescriptae sint publicae preces, lucrari valeant, corpore quidem

conjuncti ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus; quodsi praescribuntur tantum privatae orationes, proprii surdo-mutorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera, aliquo modo manifestata, salva tamen semper obligatione visitandi ecclesiam.

**406. V.** Opera praescripta (excepta confessione et communione, ut n. 405 dictum est) adimplenda sunt **intra tempus aptum ad indulgentiam lucrandam**. Quale sit hoc tempus pro singulis indulgentiis e tenore indulti colligendum est. Quem tenorem ut rite intellegas, adverte :

a) Quando indulgentia pro aliquo die conceditur, tempus lucranda indulgentiae currit a media nocte ad medianam noctem, neque incipit a primis vesperis nisi id diserte exprimatur. (S. C. Ind. 12 Jan. 1878)

b) Quando concessum est ut indulgentia acquiri possit a primis vesperis, prout saepe contingit in festis, tempus aptum incipit ea hora qua, ex probato more, recitari possunt vesperae in choro, i. e. hora circiter secunda pomeridiana. (Bering. I. p. 80)

c) Quando indulgentia conceditur tantum usque ad occasum solis, durat "usque ad integrum ipsius diei vespertinum crepusculum", ut loquitur Bened. XIV in Bulla jubilaei 5 Maii 1749. Licebit ergo eam lucrari donec sol 18<sup>um</sup> gradum infra horizontem ingrediatur. Cfr. n. 236.

## § 2. DE QUIBUSDAM INDULGENTIIS IN SPECIE.

### 407. I. Via Crucis.

Exercitium Viae Crucis rite instituens easdem consequitur indulgentias, quas conquereretur si personaliter visitaret stationes Viae Crucis in Jerusalem. Ita declaravit Clemens XII in suis Monitis 3 Apr. 1731 editis, n. 9; quibus insuper, ad vitandos abusus, prohibuit ne eadem indulgentiae determinentur ex pulpitis vel alia forma, aut scribantur in aediculis vel stationibus. Interrogata num totiens in die lucrari valeant indulgentiae exercitio Viae Crucis adnexae, quotiens illud iteretur, S. C. Ind. 10 Sept. 1883 respondit: "Ex documentis non constat, indulgentias pro pio exercitio Viae Crucis concessas totiens lucrari, quotiens praefatum exercitium iteratur." Hoc tamen responsum de solis indulgentiis plenariis procedit. De his enim solis statuit S. C. Ind. 7 Martii 1678, semel tantum in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud plium opus peragentibus, lucrificeri : a qua regula non excipiuntur nisi indulgentiae Portiunculae

et paucae aliae speciali clausula munitae. Partiales vero indulgentias Viae Crucis, sicut et alias quaslibet partiales, de quibus non sit expresse declaratum eas semel tantum in die acquiri posse, totiens quotiens Viam Crucis instituunt, lucrantur.

Non agemus hic de facultate et modo erigendae Viae Crucis : res enim est valde implexa et minus cuiilibet scitu necessaria. Pauca adnotabimus de dubiis quae, erecta jam Via Crucis, exsurgere possunt, et praesertim de ratione illam peragendi.

1º Erecta jam Via Crucis, *manent indulgentiae* ; a) Si tabulae removentur et in earum loco novae appenduntur, vel solae cruces remanent: his enim solis indulgentiae adnectuntur. (S. C. Ind. 13 Nov. 1837) — b) Si minor pars crucium renovatur. (S. C. Ind. 30 Jan. 1839) Igitur, si saltem dimidia pars crucium benedictarum periit vel renovata est, indulgentiae pereunt. — c) Si una vel altera crux tantum removetur a pariete. Si vero omnes simul, vel dimidia earum pars, ad tempus removerentur, fideles eo tempore lucrari nequirent indulgentias in alio loco in quo appensaे fuerint; sed easdem iterum lucrabuntur, quando in pristinum locum referentur. (S. C. Ind. 20 Jun. 1836 et 20 Sept. 1839) — d) Si crucis de loco in locum in eadem ecclesia mutantur. (S. C. Ind. 22 Aug. 1842)

Nova erectione opus est si Via Crucis a loco removetur ubi canonice erecta fuit et in aliud locum stabiliter transfertur. (S. C. Ind. 30 Jan. 1839) Si autem in eodem loco renovandae sunt crucis, sufficit earum benedictio a sacerdote competenti facultate donato peracta, dummodo praesumi possit consensus eorum **quorum** interest, (S. C. Ind. 11 Jan. 1896; N. R. Th. t. 28. p. 282)

2º *Ad lucrandas indulgentias, in obeunda Via Crucis, haec servanda sunt :*

a) Ut singulae stationes singillatim visitentur, ubi nullum adsit impedimentum. (Clementis XII Monita cit. n. 7) Igitur transeundum est ab una stacione ad aliam, quantum **sinit** aut multitudo personarum quae eas visitant, aut angustia loci ubi sunt erectae. Neque possunt fideles indulgentias lucrari sine corporis **motu** de loco in locum, etiam cum ecclesia repleta et compressa est **devotis**. (S. C. Ind. 26 Febr. 1841) Attamen, si motus iste perturbationem excitare possit, ad publicum exercitium Viae Crucis sufficit ut, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circuneat, ac, sistens in qualibet statione, ibi recitet consuetas peculiares preces, ceteris alternatim respondentibus. (S. C. Ind. 6 Aug. 1757) Posset quoque sacerdos preces recitaturus in pulpite aliove loco consistere, dummodo alter sacerdos stationes visitet ea **ratione** qua dictum est. (Bering. I. p. 281)

b) Ut quatuordecim stationes sine notabili vel morali interruptione visitentur. (S. C. Ind. 22 Jan. 1858) Etiam sat diurna interruptio per actionem religiosam, puta ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad confessionem faciendam, etc., non obest. (S. C. Ind. 16 Dec. 1760) Aliter tamen dicendum foret, si per actionem profanam Via Crucis interrumpetur : deesset enim moralis unio.

c) Ut fideles meditentur, quantumvis breviter, Passionem Domini. (Monita cit. Clementis XII, n. 6) Non requiritur autem ut singularum stationum argumentum meditando consideretur, neque ut actus contributionis eliciatur, vel ullae orationes vocales recitentur, neque tandem ut confessio et communio peragantur. Igitur meri consilii est recitatio unius Pater et Ave ad singulas stationes vel sexies Pater et Ave in fine Viae Crucis.

N. B. Sat multi fideles hodie possident imaginem crucifixi specialiter benedictam ad lucrandas indulgentias Viae Crucis. Has ergo omnes lucrari possunt hujus imaginis ope, quotienscumque legitimo impedimento prohibentur quominus Viā Crucis percurrent. Neque opus est ut hoc impedimentum physicum sit, ut contingit carceratis, aegrotantibus, etc., sed sufficit impossibilitas moralis, immo incommodum medio-criter grave seu motivum vere rationabile, quacunque demum ex causa proveniat, ut si quis iter instituit, procul ab ecclesia moratur, etc. Nec quidquam aliud requiritur quam ut, praedictam crucifixi imaginem manu tenentes, animo contrito, quatuordecies Pater, Ave et Gloria recitent, additis quinque Pater, Ave et Gloria in honorem quinque Vulcanorum Christi et semel ad intentionem R. P. (Decr. Urbis et Orbis 8 Aug. 1859) Insuper, si e pluribus personis impeditis una tantum hujusmodi imaginem habet, reliquae easdem indulgentias lucrari valent, dummodo, ceteris curis semotis, se rite componant pro pio exercitio Viae Crucis peragendo cum persona quae una tenet crucifixum : id 19 Jan. 1884 indulsit Leo XIII. Tandem notandum, e commutatione facta ab A. R. P. Generali Franciscanorum et quae ab eo commemoratur in facultate benedicendi praedicta crucifixa, personas quae gravi infirmitate impeduntur quominus vigesies Pater, Ave et Gloria recitent, indulgentias lucrari posse, eliciendo semel coram crucifixo benedicto actum contributionis vel orationem jaculatoriam : Te ergo quaesumus tuis famulis subveni quos pretioso sanguine redemisti. (Bering. I. p. 353 seqq.) Insuper, juxta pagellam qua nunc conceditur facultas crucifixi in hunc finem benedicendi, necessarium est ut aegrotans mentaliter se conjugat alii personae ter Pater, Ave et Gloria recitanti.

#### 408. II. Corona seu Rosarium B. M. V.

Plures sunt coronae B. M. V. quae semper indulgentiis adnexis, quandoque etiam recitationis ritu differunt. Sunt autem praecipue :

1º Rosarium quinque decadum, cui eae quae dici solent *Indulgentiae Apostolicae*, adnexae sint, sive ab ipso R. P., sive a sacerdote qui eas objectis pietatis, vid. rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus, adnectendi facultatem accepit. Earum catalogum hodie vigen tem videsis ap. Beringer, I. p. 339. Adverte inter has indulgentias quasdam lucrifieri tantum ab iis qui rosarium recitant; alias vero, ex. gr. indulgentiam plenariam in articulo mortis, acquiri posse ab iis qui rosarium aliudve objectum devotionis ita benedictum secum ferunt, vel decenter domi servant et alia bona opera peragunt quae in praefato catalogo recensentur.

2º Rosarium ordinarium seu S. Dominici. Istud pariter quinque decadibus constat et potissimum a PP. Dominicanis benedici solet.

3º Rosarium sex decadum, quod S. Birgittae nuncupari solet, et potissimum a Canonicis Regularibus SS. Salvatoris Lateranensis benedicitur. Saepe autem, ex speciali S. Sedis concessione, uberes indulgentiae quae a praefato rosario dici solent S. Birgittae, adnecti possunt solitis quinque decadum coronis. Attendum autem, ex resp. S. C. Ind. 15 Maii 1886 (Bering. I. p. 363), in fine cujusque decadis addendam esse recitationem Symboli Apostolici ab iis qui eas indulgentias rosario ordinario adnexas, lucrari velint.

4º Rosarium Ordinis S. Crucis seu Crucigerorum, quod a solis religiosis hujus Ordinis benedici potest. Eminet istud rosarium indulgentia quingentorum dierum, lucranda quoties in eo recitatur Pater vel Ave, etiam sine intentione reliquam rosarii partem recitandi. Hanc indulgentiam authenticam declaravit S. C. Ind. 15 Mart. 1884. (Act. S. S. t. 16. p. 404)

De his variis coronis pauca, inter multa practica, notabimus:

a) Ut quis indulgentias cuiuslibet rosarii lucretur, exceptis indulgentiis Apostolicis, necesse est ut illud orando manu teneat. Attamen pro solo rosario S. Dominici, non pro reliquis, concessum est a Pio IX (22 Jan. 1858) ut personae omnes quae in eo recitando, ceteris curis semotis, se jungunt personae quae hujusmodi rosarium habet et manu tenet, easdem indulgentias lucentur ac si singulae hujusmodi rosarium manu tenerent. De qua concessione declaratum est a S. C. Ind. 13 Nov. 1893: "Fidelibus ab iis tantum occupationibus exterioribus esse abstinentum, quae internam attentionem impediunt ad devotam rosarii recitationem pro lucrandis indulgentiis praescriptam."

b) Pro solis indulgentiis rosarii S. Dominici necessaria est meditatio mysteriorum vitae, passionis et resurrectionis D. N. J. C.

c) Ad lucrandas indulgentias Apostolicas vel S. Dominici necesse est ut, tractu moraliter uno, saltem quinque decades recitentur: excipiuntur tantum indulgentiae concessae confratribus Sodalitatis SS. Rosarii pro

recitatione integri rosarii infra hebdomadam. (S. C. Ind. 22 Jan. 1858) Num idem requiratur ad lucrandas indulgentias birgittinas, non plane liquet. (Ball. P. n. 90)

d) Possunt uni eidemque coronae plures e praefatis indulgentiis adnecti: quod pariter valet de aliis objectis devotionis, puta crucifixis. Verum ad singulas lucrandas renovanda sunt opera injuncta iterabilia, puta precum recitatio. (S. C. Ind. 29 Febr. 1820)

e) Coronae et res quaecumque indulgentiis ditatae tradi debent fidelibus omnino gratis, ita ut si quid quocumque titulo, sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynae requiratur vel accipiat, indulgentiae amittantur. Indulgentias tamen non amittunt eadem res quae ante omnem usum ab una, deinde in aliam, tertiam et quartam quoque manum transierint. Nec afficit praedicta prohibito vel poena eum qui cruces, coronas etc. emens, ipsi venditori earum benedictionem nomine suo curandam committat, soluturus premium expensaque transmissionis, in ipso actu quo res illae jam benedictae sibi tradentur. (S. C. Ind. 10 Jul. 1896) Verum, ex decreto Alex. VII 6 Febr. 1657, concessis indulgentiis privantur coronae vel alia objecta, quae alteri commodantur ut iste easdem lucretur. At, si ad alium finem commodantur, puta rosarium ad numerandas orationes recitandas, indulgentiae incolumes manent. (S. C. Ind. 13 Febr. 1745)

#### 409. III. Scapulare.

Omnium scapularium antiquissimum et celeberrimum est Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, quod in majore sua forma a Religiosis Carmelitis, in minori a ceteris fidelibus gestari solet. Huic, praeter multas indulgentias, adnexa est duplex promissio a B. M. V. pro omnibus qui istud ad mortem usque gestaverint: altera, quam ab ea sibi apparente audivit B. Simon Stock, eos aeternum non passuros incendium; altera, quam ab ea pariter sibi apparente didicit, et in Bulla edita 3 Martii 1322 commemoravit Joannes XXII, eos quamprimum, praesertim sabbato post mortem suam, e purgatorio liberatum iri. Hoc posterius *privilegium Sabbatinum* dici solet.

Scapulari Carmelitano recentius plura alia accessere, inter quae, ob indulgentias adnexas, eminent scapularia Immac. Conceptionis B. M. V., Passionis D. N. J. C., SS. Trinitatis, Septem Dolorum B. M. V. Brevitatis causa quasdam tantum regulas omnibus vel pluribus ex his scapularibus communes recensebimus:

1º Ut quis lucretur indulgentias scapularibus adnexas, plerumque requiritur ut in confraternitatem ad quam singula pertinent, recipiatur: ita faciendum pro scapularibus SS. Trinitatis, Montis Carmeli et Septem Dolorum. Pro aliis, ex. gr. pro scapularibus Imm. Conc. et Passionis,